Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1837)

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-ſeptimâ Novembris.

M. ANTONIO LE CLERC, Doctore Medico, Præſide.

An ex eo quod mulier crebrò ſuperfœtet, minus bene concluditur hominis generatio ab ovo?

QUOMODO fiat hominis generatio, problema ſolutu difficile, diverſorum huc uſque fuit ſyſtematum occaſio. Præ cæteris receptiſſimum iſtud, quod ab ovo generationem hominis inſtituit. Hujus officina primigenia, ovarium muliebre, creditum à veteribus appellatumque teſtes. Illic ovum, in quo ſingulas hominis futuri partes deſignatas putamus, cuditur, conditurque, donec vivacioribus virilis ſeminis particulis ad fœcunditatem excitatum, ſuis è receptaculis, trans tubas exiliat in uterum: cujus calore fotum & humiditate, non prius intumeſcit, quam ſpiritus ejuſdem ovi hoſpes intimus, antea quaſi veternoſus expergeſiat. Præ jugi, præpete turbineaque ſubtiliorum, quarum centro potiſſimus inſidet, particularum agitatione, citius avolaret ille; ni moleculæ ſeminis utcunque craſſiores, ad peripheriam abactæ, ocyſſimam ipſius fugam ſiſterent efficaciter. His itaque ſtaminibus irretitus opifex, clauſtra molliore niſu primum expandit, varias ſpargit in uteri fundum à quibus origo placentæ radices, præter quas alimentum ſimul & incrementum excipiente fœtu, diducta prius inaniaque ſpatiola ſenſim ac ſine ſenſu cogitamus impleri, ſingulas demum fœtus partes haud aliter vicibus evolvi, atque mandata telluri plantarum ſemina paſſim explicari videmus.

VEROSIMILLIMAM hanc humanæ geneſeos opificii rationem elevare conantibus placet caſum ſuperfœtationis inducere. Secunda nimirum iſta conceptio, quæ ut mulierum omnium non eſt, ita nec omnium graviditatis menſium, ex illorum ſenſu, poſitâ hominis ab ovo generatione, videtur iis prorſus ἀδύνατος. Ovum muliebre, inquiunt, ſtatim atque jucundâ virilis ſeminis aurâ fuit afflatum, domicilii velut pertæſum ſui, & quietis impatiens, erumpit illico, hæſurum aliquandiu intra tubæ ductum, vel illinc in uteri fundum uſque nulla mora ſeſe projecturum. Si prius, interclusâ virili ſemini ad ovarium uſque viâ omni, palam fit non poſſe iſtud applicare ſeſe ad quodpiam ovum; quapropter ad primam conceptionem altera non accedet. Si poſterius, ovo in fundum uteri delato, atque per factam ſui juris ſpiritus energeiam, pro ampliore loci ſpatio magis ac magis in dies intumeſcenti, transformato in embryonem, tunicis aquas capientibus veſtitum, è gravitatis legibus ſequitur, ut ſarcinâ in orificium interius uteri devolutâ, obſignetur id accuratius, quam quod in uterum quidquam penetrare poſſit, unde gravida ſuperfœtet, oriundum ab ovo jam fœtum gerens.

CAVEAT porro philoſophaturus omnis, quem phænomenon inſolens aliquando morabitur, ne in explicandâ difficultate propoſitâ, inops forſan acrioris judicii, rem quæ eſſe fierive poteſt imprudenter inficietur. Prima ſecundaque conceptio inter ſe revera conveniunt, quod virile ſemen exquiſitum eſſe oportuerit, ova muliebria bene materiata; differunt nihilominus quod in illa ſpiritus opifex uno ac eodem tempore duplicem inſiſtere poſſit in utero viam, id eſt præter utramque tubam ovarium utrumque ſubire. Si nempe dextro in ovario nullum ei obvium fuerit ovum requiſitis inſignitum caracteribus, ocyus infert ſe ſiniſtrum in ovarium, illic fœcunditate donaturus ovum aliud, in quod ut par eſt conformatum inciderit. In hac ſeu ſuperfœtatione, quam ultra primum alterumque graviditatis menſem fieri poſſe contendimus, licet ovum, quod ex ovario dextro, verbi gratia, migravit in ejuſdem lateris tubam, ibi ſiſtatur, meatum aditu omni prohibito clauſurum. Cur, patenti per tubam ſiniſtram itinere ſeminalis ſpiritus illac in ovarium eidem tubæ finitimum ſeſe non inſinuabit? ubi obvio ſibi primum admotus ovo laudabili fœcunditatem haud dubiè largietur, decipiente gravidam mulierem alterâ, quam minus expectabat generatione.

SED eſto deſilierit fœtus in uteri fundum, atque ſecundis velut utre tumeſcentibus, deorſum hoc pondere ſic trahatur, rimam ut nullam faciat interius orificium uteri, præter quam admitti quidpiam poſſit intus poſtea transmittendum. Id ſolum accidere conſtat, quoties & quamdiu gravida mulier erecta ſtabit; qua mutante ſitum, ſupinaque vel prona decumbenti, nemo non intelligit involucra fœtus atque contentas iiſdem aquas minus recta minuſque graviter incumbere debere interno uteri orificio. Scilicet loco cedunt aliquatenus impedimenta iſthæc, virili ſemini ſecundum extimam ſui peripheriam commeatum præbitura peropportunum. Cujus ubi ſemel in fundum uteri perrexit, & ejuſdem eximio calore continuo rarefactum eſt, ſubtiliſſimæ particulæ in ovarium advolant, futuræ ſuperfœtationis efficaciſſimæ parentes. cœterum mulieribus quibuſdam ſingulis omnino quinque menſibus, aliis ſingulis omnino ſeptem periodicè parientibus, difficulter animum induces tuum, quî fœtus intervallo temporis adeo brevi poſſit & primum ducere ſuæ fabricationis exordium, & tantum ſui corpuſculi partium incrementum ſuſcipere.

DETINETUR in tubis fœtus hebdomadas ſex duoſve menſes, unde cum egreditur, magnitudo illius pollicis eſt dimidii; nec videtur intra reliquorum graviditatis menſium decurſum poſſe tantum alimoniæ ſumere, quantum ſufficiat oportet, magnitudinem ut aſſequatur illam, ad quam aſſurrexit, quando in lucem editur. Perſuaſum tibi nihilominus eſto de generando fœtu altero, vel poſt quintum menſem à generato priore fœtu. Cum hoc ille quatuor menſes utero geritur, & poſtquam ipſorum origine priorem, maturumque mulier enixa eſt, ſuperſtes in utero poſterior nonimeſtrem maturitatem aſſecutus, perinde ac prior in lucem prodit. Sic puerperæ lochiorum expurgatione perfunctæ, per menſem, tertiò non minus incautè ſuperfœtant, quam ſecundæ conceptioni prius fuerant obnoxiæ; utriuſque nimirum ſimilis eſt utique ratio. Sic ſex, ſeptem & octo fœtus ſtata quinti cujuſque menſis periodo, vicibus, naſcuntur. Idem ſit de ſeptimeſtri partu deque variis partus humani temporibus, quorum frequentiora proſtant exempla, proportione ſervatâ, judicium.

Ergo ex eo quod mulier crebrò ſuperfœtet, non minus bene concluditur hominis generatio ab ovo.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Burlet.
M. Alexander Petrus Mattot.
M. Claudius Bourdelin.
M. Joannes Franciſcus Foy-Vaillant.
M. Alexius Littre.
M. Philippus Ignatius Save.
M. Raphaël Maurin.
M. Petrus Creſſé.
M. Alexander Michaël Denyau, Profeſſor Regius.

Proponebat Pariſiis EUSEBIUS ADRIANUS THUILLIER, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1698.